



**I**ohannes natus est honestis parentibus in Sue-  
uia Hochstadij ad Danubium, anno natiuitatis  
Domini millesimo quingentesimo undecimo. Is  
cum præclaro ingenio esset præditus, à pueris o-  
peram literis dedit, atque hinc inde artibus & lin-  
guis diligenter incubuit. In primis uerò Historia-  
rum lectione delectatus, ueterum res gestas anno-  
tauit, & præ ceteris studiosissimè obseruauit. Cum  
hoc modo pergeret, Anno salutis humanæ mille-  
simo quingentesimo tricesimo nono Basileam ue-  
nit, atq; Theologiæ studium Historijs coniunxit.  
Itaq; factum ut ibidem uxore ducta etiam aliquan-  
diu in pago Pseffingen extra urbem, ditionis Epi-

scopi, Euangelium prædicarit, & ueram salutis rationem cunctis ostenderit.  
Cum autem Typographi eius opera uti exoptarent, eum in urbem reuoca-  
runt, atq; ut aliquoties Historias in ordinem redigeret, impetrarunt, anno cir-  
citer 1546. Erat enim ipse (licet obæso corpore & parua statura conspiceretur)  
omnis laboris patientissimus.